

05

A

957



EXERCITATIO THEOLOGICA
De
ECCLESIA

Quam
Divinâ assistente Gratiâ, & consensu Venerandæ
Facultatis Theologicæ in Academia Wittebergenſi
SUB PRÆSIDIO
VIRI

*Admodum Reverendi, Amplissimi,
atq; Excellentissimi,*

DN. JOHANNIS MEISNERI,

S.S. Theolog: Doctoris & Professoris Publici,
Alumnorum Electoralium Ephori, nec non Collegii
Theologici p. t. Decani
ſpectabilis.

Dn. Præceptoris, Patroni ac Mæcenatis Magni ſui
omni Pietatis & obſervantiæ cultu æternum
proſequendi.

Publico Eruditorum Examini ſubjicit

CHRISTOPHORUS SIGISMUNDUS

DONAVERUS Ratisponenſis.

In Auditorio Theologorum

ad d. Aprilis horis matutinis.



WITTEBERGÆ

Typis Johannis Röhneri, Acad. Typogr.
M. DC. LI.

RESEARCH IN THEOLOGICAL

DO

COLLEGE

QUAM

Divinae Scripturae & consensu Veneranda

Facultate Theologica in Academia Witebergensi

SUB PRÆSIDI

VIII

Amplissimus



DR. JOHANNES MEISNERI

22. Theolog. Doctoris Publici

Alumnus Collegii

759 A 50

Dr. Præceptoris Patroni ac Mercenarii Magni in

omni pietate & sollicitudine colui

proprie

in Academia Witebergensi

CHRISTOPHORUS SIGISMUNDUS

DOCTORIS

in Academia Witebergensi


in Academia Witebergensi

WITTEBERG

In Typis Johannis Höhnert, Acad. Typogr.

M. DC. II.





JESU BENEDICENTI SACRUM.

ANTELOGIUM



Quod olim Sacerdotes in V. T. non sine insigni gloriatione ad Templum Domini Hierosolymitanum provocaverint, nos docent divina oracula Jer. VII. 4. Hodierni Romanenses, quid aliud in ore habent? quid aliud calamo jactitant & plenis buccis decantant? quid aliud vanissimè gloriantur? *nisi Ecclesiam*; Cujus tum summam Authoritatem, tum etiam antiquitatem tanquam Ajacis clypeum nullibi non nobis opponunt, imò in multis, si non superiorem, certè æqualem eam Scripturis esse impudenter somniant, id quod satis superque ex illorum scriptis patescit. Ast hæc illorum vanissima & plusquam thraonica jactantia, inanisque verborum spuma à viris

Orthodoxis jam dudum abundantissimè
simul & invictissimè, profligata fuit.

Cum igitur summa *Ecclesie dignitas*,
ut & præsentis controversiæ necessitas
suadeat jubeatque, ut verum veræ Christi
sponsæ & prostitutæ illius Meretricis Ba-
bylonicæ *Ecclesie Romanae* ostendamus di-
scrimen, atque in id sedulò invigilemus,
ne citra salutis dispendium putrida & mor-
tua, sed vera & viva Ecclesie membra si-
mus: *Nam extra Ecclesiam nulli homi-
num speranda salus est, neq; Deum Pa-
trem habebit in cælis, nisi qui Ecclesiam
in his terris habuerit Matrem*: secun-
dum Augustum Patrem *Augustinum lib.
IV. de Symb. ad Catech. Cap. X.* Et quoni-
am de hoc articulo in Ecclesia Dei adhuc
hodiè varia sunt hominum judicia, imò
inter nos & Pontificios serra contentio-
nis de *vera Ecclesia* reciprocatur, operæ
pretium facturi videbimur, nostram de eo
confessionem edere, atque sub Disputatio-
nis incudem nobilissimam hanc materi-
am,

am, ut quæ maximi momenti est, ad ipsius
Ecclesiæ ædificationem revocare. Non
enim de fundo, non de pecuniâ, non de
veste, sed de hæreditate Cœlestis Regni
contendimus,

Quisquæso nostrum ad hoc confor-
tium unicè non adspiret? Quis in hoc do-
mo & Civitate Dei viventis domesticus,
& concivis esse, non exoptet? Ubi *per Ec-
clesiæ militantis προάυλιον ad Ecclesiæ Tri-
umphantis palatium ipsi aditus patet.*

Agedum, ingrediamur officinam
hanc & *εργασήριον* spiritus sancti corda no-
stra ad vitam æternam regenerantis: *Quod
siquis non intraverit, vel à quo si quis exie-
rit, à spe vitæ & salutis æternæ alienus erit,*
uti habet *Lactantius* Lib. IV. in tit. Cap. 30:
Antequam verò rei ipsi manum & cala-
mum admoveamus, ipsum suspirando in-
vocamus *Ecclesiæ Caput & Dominum*, ut
mentem doceat, linguam regat, verba diri-
gat, ut hæc nostra actio in laudes ipsius ce-
dat feliciter.

THESIUM.

I. *Dari aliquam in his Terris Ecclesiam, extra omnem dubitationis aleam positum est. Idipsum confirmant clarissima Scripturæ testimonia de perpetua Ecclesie conservatione, adversus quam ne porte inferorum quidem prevalitura sint, juxta promissionem Salvatoris nostri cap. XVI. 18, Matth. Hinc non immerito rejicimus. 1. Epicuræorum quorundam blasphemam illam ἀθεότητα & profanitatem, DEUM nullâ rerum humanarum curâ affici, somniantium. 2. Pyrrhonicam aliorum Pseudo Theologiam, ut impium deliramentum, improbam, qui statuunt, totum Mundum esse Ecclesiam, imò quemq; in suâ fide & religione salvari posse, sicut hunc errorem erravit Franciscus Puccius. Neq; 3. statuimus aliquam Civitatem Platoniam, quæ nullibi gentium inveniat, cujusmodi fuerunt Ideæ Platonis.*

II. *Ubi verò & quanam sit illa Ecclesia, inter nos & Pontificios controversatur, de quibus dicendi locus prolixior infra sese offeret. Jam præsupposito τῆ ὄτι Ecclesie, agendum nobis erit in subsequentibus thesibus de τῆ τί ἐστὶ quid sit, ubi etiam annectemus τὸ ποῖόν καὶ τὸ διοτι quæ & qualis illa sit.*

III. *Definitionem in Logicis sicut habemus geminam, unam nominalem alteram realem, ita in præsentis negotio duplex à nobis constituitur definitio: Nominis & rei. Prior proponit 1. Etymologiam seu ipsius vocabuli originem. Ecclesie vox græca est, cum qua coincidit latina. Εκκλησία dicitur evocatio παρὰ τὸ ἐκκαλεῖν ab evocando, & notat, non locum propriè in quo conveniunt homines, sed ipsum cœtum seu numerum hominum evocatorum.*

IV. *Particulâ ἐκ indigitatur terminus à quo, qui est separatio ex hoc mundo, h. e. ex colluvie pravæ cupiditatum & peccatorum 1. Joh. 11. 16. ex tenebris 1. Pet. 11. 9. ex Regno Sathanæ & Principis tenebrarum, à quo Ecclesia separatur Col. I. 13. 14. verbo καλεῖν autem innuitur terminus*

minis

minus ad quem, nempe collectio & congregatio ad Regnum
Gratiæ, ad quod per prædicationem Evangelii velut divina
aliquâ tubâ, vocatur.

V. B. Gerhardus, loco de Ecclesia cap. 1. § 3. p. 560. inter
cognata vocabula ἐκκλησίας & συγκλησίας hanc differen-
tiam ponit, quod συγκλησία dicatur de Senatoribus, ἐκκλη-
σία verò de populo, ut constaret, non primates solum, sed
etiam populum ad communionem illam sanctorum perti-
nere, hinc ipsi Apostoli maluerunt non συγκλησίας, sed ἐκ-
κλησίας voce uti.

VI. LXX. Interpretum versio habet vocabulum συ-
ναγωγῆς, quod in genere quamvis congregationem signifi-
cat, in specie verò tribuitur populo Israelitico in Vet. Test.
Exod. XVI. 3. Lev. IV. 13. Ab Apostolis & Evangelistis in
N. Test. accipitur pro congregatione populi Judaici Matth.
XXIII. 37. Jacobus cap. II. 2. hanc vocem pro cœtu Chri-
stianorum usurpat. Ejus compositum invenimus Hebr.
X. 25. Quod notandum venit contra Bellarminum lib. III.
de Eccl. milit. cap. I. negantem, populum N. T. unquam
dici Synagogam. Cur autem ipsi Spiritui S. placuerit ma-
gis uti voce Ecclesiæ quam Synagogæ, factum hoc certis de
causis, nempe voluerunt Apostoli cœtum Christianorum
distinguere à Synagogis & congregatione Judæorum.

VII. Hebraei duobus utuntur vocabulis, quorum prius
est, *הקָה* ab inusitatâ radice *הקָה* in Niphâl congregatus
fuit, in Hiphâl congregavit, posterior vox est *הקָה* conven-
tus, congregatio, cœtus à radice *קָה* indixit, vel certum lo-
cum & tempus constituit, in Niphâl, convenit, congrega-
tus est, utrumque vocabulum conjunctim legitur in fonte
Hebræo Lev. VIII. 3. Germanis dicitur *Eine Kirch* procul
dubio à græco *κυριακή* quasi dicas, Dominica Domus ein
Gottes Haus seu domus Domini, uti habetur Psal. CXXII. 1.
quia in eadem Dominus præsentiam suam gratiosam vel
maximè promisit, Exod. XX. 24.

VIII.

VIII. Etymologiam excipit II. *Synonymia*. In scrip-
 pturis multa & præclara habentur elogia. Dicitur *Soror*
 & *Sponsa Christi* Cant. IV. 9. non solum propter amorem,
 sed etiam propter summum honorem, quo eam dignatus est.
Bernhardus sermone VIII. in Cant. *Ecclesia* inquit, *Soror*
Christi est, quia ex uno Patre, sponsa est, quia in uno Spiritu. In
 Apoc. XIX. 7. *Sponsa & Conjux Agni*, quæ nomina potius
 Ecclesiæ in Cœlis jam Triumphanti competunt, quia ibi
 firma & perpetua cum Christo sponso erit conjunctio, nul-
 lus ibi amplius repudii metus Esa. V. 1. Cant. VI. 10. Matth.
 XX. 1. *Vinea* propter maximos labores & sumptus, qui im-
 dendendi sunt, ut benè constituatur, & conseruetur.
 Eph. I. 22. Cap. IV. 12. 16. *Christi corpus & πλήρωμα τῆ πάντων*
ἐν πᾶσι πληρωμένον. *Domus Dei & σὺλῶμα καὶ ἐδραίωμα τῆς*
ἀληθείας 1. Tim. III. 15. Ps. XXVII. 4. & quæ sunt alia nomina
 plura, de quibus prolixè agit B. Gerhardus loco de Eccl. Cap.
 III. §. 16. 17. seqq.

IX. Sequitur III. *Homonymia*, seu vocis Ecclesiæ diver-
 simoda acceptio. Sumitur 1. *Generaliter* pro quovis homi-
 num cœtu, quavis de causa convocato, *in bonam & malam*
partem Psal. XXVI. 5. Psal. LXXXIX. 6. 2. *specialiter* vel pro
cœtu hominum visibili, religionis causa convocato, vel pro *Mi-*
nisterio Ecclesiastico uti Matth. XVIII. 17. εἶπε τῇ ἐκκλησίᾳ
 dic Ecclesiæ i. e. Pastoribus & Ecclesiæ Præfectis: vel pro
grege & auditoribus Act. XX. 28. 3. *specialissimè* pro Ecclesia in-
 visibili seu cœtu Electorum tantum, qui per fidem Christo
 capiti inferuntur, & per Spiritum sanctum sanctificantur,
 illuminantur & glorificantur.

X. *Tantum de Nominibus*: Posterior nempe, *definitio*
Realis à nobis ex Codice S. & ex articulo VII. & VIII. Au-
 gust. Confess. talis colligitur: *Ecclesia est cœtus seu congrega-*
tio quorumvis hominum, à Christo per prædicationem Evangelii
& legitimam sacramentorum administrationem ex universo mun-
do ad Regnum Dei evocatorum, in quo cœtu sunt Electi, juxta
prævisionem Dei Patris, h. e. verè ad finem usq; in Christum cre-
 den-

dentes, quibus mixti sunt non sancti & hypocrita, sed tamen eandem doctrinam profitentes.

XI. Definimus hic Ecclesiam potissimum N. T. in latiori significatione, quæ strictiorem sub se continet. Ejus genus facimus cœtum, quia Ecclesia est nomen collectivum secundum Logicos h. e. tale quid, quod non constat ex uno Individuo, sed comprehendit in se multitudinem & materiam dispersam, interim simul quandam unitatem & collectionem notat, quales sunt Respublica, Mundus, Civitas. Patet hinc Pontificiorum erronea opinio, qui Pontificem R. pro Ecclesia agnoscunt, ex cujus decisione quicquid promanat id quasi ex tripode aureo Jovis promanasse statui debet, cui tamen ipsius *Bellarmini totius aliàs Pontificie turbe Promachi & Antesignani* lib. III. cap. XVII. §. ult. reclamant verba: *Quod una aliqua singularis persona Ecclesia dici nequeat.*

XII. Ut verò justo & decenti procedamus ordine, in óthesibus nostris majus addatur lumen, in causas Ecclesiæ est inquirendum. Est itaq; CAUSA EFFICIENS PRINCIPALIS & peculiari modo ipse *Christus Dominus & caput Ecclesie sue*, non excluso Patre & Spiritu sancto. Tribuitur enim Ecclesiæ collectio *DEO Patri* Eph. I. 5. *quod ante jacta mundi fundamenta nos in Christo elegerit*, huncq; in plenitudine temporis miserit, ut per assumptam humanam naturam opus redemptionis perficeret, sibiq; ex lapso humano genere Ecclesiam suo sanguine acquireret. *Filio* Act. XX. 28. *huic ut lapidi angulari superedificata est.* Matth. XVI. 18. ab ipso etiam conservatur & sustentatur. *Spiritui sancto* qui in cordibus fidelium per verbum efficax est, multosq; ad vitam æternam regenerat, eosq; in omnibus adversitatibus & angustiis solatur.

XIII. In hac Ecclesiæ collectione, quæ est opus ad extra, ad omnes tres Divinitatis Personas se diffundens, tenendum probè est discrimen & ordo personarum, quarum semper distinctus est operandi modus. *Pater* Ecclesiam ceu sponsam Filio suo adducit, & elocat in hæreditatem Matth. XXII. 2. *Filius* Ecclesiam sibi desponsavit, Hof

II. 19. II. Cor. XI. 2. *Spiritus sanctus* est paranympus qui sponsam Ecclesiam per verbum & sacramenta purgatam, Christo sponso adducit Eph. V. 27.

XIV. Porro in Ecclesia constituenda utitur DEUS CAUSA INSTRUMENTALI Apostolis, Pastoribus, aliisque verbi Ministris, quibus Ecclesiam fundat, fundatam conservat, fundatam, sed iterum corruptam, reparat. Hi sunt *Legati* 2. Cor. V. 20. *συνεργοὶ τῷ Θεῷ*, I. Cor. III. 9. *Os Domini* Jer. XV. 19. uti habetur in fontibus, & eleganter Hieronymus in præfat. Pentat. *Per Apostolorum os* inquit, *mibi Christus sonat*. Et ipse Salvator de suis discipulis Luc. X. 16. ait; *Qui vos audit, me audit*. Eph. IV. 11. *Ipse* (nempe Christus) *dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, Pastores, Doctores &c.* Olim apud Atheniensis civium cœtus jussu Magistratus per præcones convocabatur, sic DEUS Ecclesiæ suæ cœtum per Apostolos aliosque Ecclesiæ Ministros, qui vocantur *κῆρυκες* *præcones* I. Tim. II. 7. II. Pet. II. 1. II. Tim. I. 11. ad Regnum gratiæ vocat, unde & ipsa Evangelii prædicatio dicitur *κῆρυγμα* *præconium* Rom. XVI. 25. I. Cor. I. 21. aliisque in locis Novi Testamenti.

XV. *Media* Ecclesiam colligendi & propagandi sunt verbi divini sincera prædicatio, & legitimus sacramentorum usus. Hisce enim mediis Spiritus sanctus fidem in cordibus hominum operatur, nisi quis contumaciter repugnet, sed ea ita movet ac præparat, ut Ecclesiæ sese adjungant, atque ita ejus vera membra fiant.

XVI. Ipsum Dei & Ministrorum opus dicitur *κλησις* *vocatio*, quæ in scripturis ita describitur, ut sit 1. universalis seu Catholica. 2. gratuita. 3. serua. *Universalis est*, quia ad omnes omnino homines sese extendit. Dei enim voluntas est, ut homines audiant verbum, & salvificentur. Hinc non semel, sed tribus distinctis vicibus omnes simul actu vocati sunt: *Primò* quidem in Adamo, qui totius humani generis à Deo parens constitutus est, quemque Doctorem esse voluit, ut vera & incorrupta religionis puritas ad seram usque transmitteretur posteritatem. Deinde in Noacho post

post diluuium: deleto priore ob iniquitatem mundo, iterum omnes vocati sunt, & cum quidam sponte sua defecissent, misit DEUS Mosen, Prophetas, aliosque viros sanctos ad populum Judaicum, qui stupendis miraculis coram toto orbe illustres redditi, atque per omnia mundi climata hinc inde dispersi sunt, ita ut nulla detur gens, cui non ad veram religionem patuerit aditus.

XVII. Tandem sub initium Novi Fœderis, peractâ in Cœlos ascensione Christi gloriosa, rursus omnes Gentes pariter atque Judæi per Apostolos vocati sunt, non tamen ut antea simul, sed successu temporis alii post alios, gentes enim per universum orbem diffusæ non poterant aliter vocari. Apostoli igitur, ut mandato Salvatoris satisfacerent ablegantis eos εἰς ὅλον τὸν κόσμον ut predicarent Evangelium omni Creatura Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 15. exiverunt omnesque ad hoc regum Gratiaë invitarunt. Confirmat hoc Scriptura Rom. X. 18. in omnem terram exivit sonus eorum (prædicantium) & Evangelii sermo in omnem locum. Ubi presentia hominis prædicantis defuit, sonus tamen & fama pervenit.

XVIII. In V. T. habuisse Israelitas aliquam prærogativam præ aliis populis, non imus inficias, quippe qui DEI peculium erant, & apud quos sedes veræ Ecclesiæ usque ad tempora Messiaë fuit, donec in N. T. plena messis secuta est, h. e. universalis gentium vocatio, per totum terrarum orbem dispersarum. Hinc Gentiles nequaquam sunt ἀπολόγητοι, quod illis non eadem ubertas Gratiaë contigerit sub V. T. uti Israelitis. Dicimus enim, quod non planè & simpliciter Dei vocatis Gratia ipsi denegata fuerit, neque illi absolutè ab Ecclesiæ aditu exclusi erant. Interim licet modus & ordo vocationis variet, atque alius sit, ipsa tamen vocationis universalitas evertitur minimè, sed potius ex se & sua naturâ respectu gratiaë divinaë universalis manet. Ipsi homines, quando per propriam contumaciam vocationem Dei aspernantur, Spirituique sancto resistunt, sunt in culpa, ut ista vocatio universalis fiat particularis.

XIX. *Deinde illa Dei vocatio quoq; est gratuita & planè indebita, non enim ex merito nostrorum operum, sed ex mera gratia & bonitate DEUS sibi Ecclesiam colligit, II. Tim. I. 9. I. Pet. II. 9. 10. Eph. II. 12. 13. seq. quod maximum beneficium Gentium Doctor eleganti similitudine depingit graphicè, Rom. XI. 17. seq. quod gentiles fuerint oleastri sylvestres & steriles, arbores infrugiferæ, quas tamen DEUS fertili oleæ contra naturam inseverit.*

XX. *Esse deniq; vocationem hanc Dei seriam, abundanter Scriptura testatur Ezech. XXXIII. 11. Nolo mortem peccatoris, I. Tim. II. 4. DEUS vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire. II. Pet. III. 9. DEUS non vult ut quisquam pereat, sed ut omnes ad pœnitentiam revertantur. Deus non ore aliud profert, aliud sub pectore condit. Absit larva illa Diabolica, absit, ut statuamus horrendum illud Calvinianorum dogma, de simplici & absolutâ maximæ hominum partis reprobatione, quin potius ex Ecclesiæ pomœriis longissimè illud proscribimus, una cum blasphemis & impiis distinctionibus inter voluntatem signi (quæ in verbo est patefacta) & beneplaciti, quam dicunt voluntatem Dei arcanam & absconditam, juxta quam Deus nolit, ut homines veniant, convertantur & salventur) item distinctionem inter voluntatem Dei efficacem & inefficacem. Quæque sunt ejusdem farinae aliæ, quibus illi vocationem Dei universalem & seriam, in particularem & hypocriticam vertere allaborant.*

XXI. *Porro Scriptoribus Ecclesiasticis Ecclesia dividitur in universalem & particularem. Prior notat totum verè fidelium & electorum cœtum, qui ab origine mundi usque ad ejus finem, ex omnibus populis, gentibus ac linguis à Spiritu sancto per verbum & Sacramenta ad Christi Regnum venerunt, & adhuc per totum orbem sunt hinc inde dispersi.*

XXII. *Et cum Ecclesiæ universalis quædam membra jam dudum cœlesti gloriâ perfruantur, ubi jam ad cœlestem & dulcissimam illam quietem translata, atque à pugnandi labore*

labore & succumbendi periculo liberata sunt, igitur dividimus eam iterum in *Militantem & Triumphantem*, tertiam Pontificiorum ut fictitiam, *Ecclesiam in purgatorio laborantem*, rejicimus. Appellatur *Ecclesia triumphans*, quia jam cum Christo in caelis gloriose contra omnes hostes, triumphat Hebr. XII. 22. 24. seq. Apoc. VI. 9. 10. Eleganter differit Augustinus Tract. 124. in Johan. de Ecclesia Militante & Triumphante: *Una, inquit, in via & tempore peregrinationis, altera in Patria & aternitate mansionis, una in fide, altera in spe, una in labore, altera in requie, una in opere actionis, altera in mercede contemplationis, una hic cum hoste pugnat, altera sine hoste regnat, una hic animose militat, altera ibi gloriose triumphat.*

XVIII. *Militans* dicitur Ecclesia secundum illud Jobi Cap. VII. 1, quia sub vexillo Christi adversus sathanam Mundum & carnem pugnat, & ad hoc constituta est, ut viriliter adversus hostes spirituales praelietur, Eph. VI. 10. seq. Gal. V. 11. I. Pet. V. 8. I. Joh. V. 4. de Ecclesia ergo, quando nobis sermo est, non attendimus eam, prout solos continet Electos in Ecclesia Triumphante, multo minus eam, quae Deo in V. T. e populo Judaico imprimis colligebatur, sed unice in praesentiarum agimus de Ecclesia militante in his terris in genere, sine determinatione alicujus loci.

XXIV, *Posterior* nempe *Particularis Ecclesia* est, quae in certo aliquo loco & tempore a Deo colligitur, ut in Provincia aut urbe aliqua: Uti Paulus I. Cor. I. 3. Ecclesiae Dei quae est Corinthi & Ecclesiae domesticae mentionem facit I. Rom. XVI. 16. Dicitur autem particularis 1. *ob loci rationem* Alia enim Ecclesia est Wittebergae: alia Lipsiae, alia Ratisbonae. 2. *ob tempus, cum, Ecclesia alia sit veteris alia Novi Testamenti*: Quamvis enim omnes omnino fideles sive sub V. sive sub N. T. vixerunt, ad unum Catholicae Ecclesiae corpus pertineant, hoc tamen interest discriminis, quod populus V. T. crediderit in Messiam promissum & exhibendum, populus vero N. T. in Christum jam exhibitum. Ecclesia N. T. porro distinguitur in *primitivam*, quae ab Apostolis, eorumque discipulis constituta est, & *successivam*, quae primitivae illi successit. XXV.

XXV. MATERIA seu *subjectum* Ecclesiae sunt omnes omnino homines, cujuscunq; sint generis, ætatis, gentis aut conditionis, quotquot vocantur ad pœnitentiam & fidem inter quos sicut nulla est distinctio, sic quoq; sine omni discrimine & personarum respectu admittuntur in Ecclesiam: *Non est Judæus, neq; Græcus, ait Apostolus, non est servus nec liber, non est masculus, neq; femina, omnes enim vos unum estis in Christo Jesu, Gal. III. 28 29. & γὰρ ἐστὶ προσωποληψία παρὰ τῷ Θεῷ Rom. II. 11. I. Cor. XII. 13.*

XXVI. In V. T. Ecclesia ordinariè ad unam aliquam Nationem, gentemq; certam, populum nimirum Israeliticum, alligata erat, ita ut quicunq; volebant istius Ecclesiae vera membra esse, aut cultum & viam consequendæ æternæ salutis addiscere, istos oportebat inseri, atq; in eandem nomen suum dare, qui postea vocabantur Viri religiosi & proselyti. Act. V. 5. uti de hoc peculiari Judæorum privilegio Psal. CXLVII. 19. & 20. agit. Interim Gentilibus exteris etiam ad illam Ecclesiam patebat aditus liber, ut supra ostendimus. Jam in N. T. ubi medius paries maceræ est solutus Eph. II. 14. ex omnibus locis & populis DEO Ecclesiae cœtus colligitur, *Et sic amplius nulla est distinctio Judæi & Græci Rom. X. 12. Act. X. 34. 35. nihil DEUS discrevit inter nos & gentes, inquit Petrus Act. V. 9.*

XXVII. Verùm, quia non omnes sunt sancti, qui calcant limina Templi, ideò in definitione nostra superius allata exprimitur horum subjectorum relata qualitas, qui nam & quales illi in hoc Ecclesiae cœtu sint: nempe *Electi juxta prænotationem Dei Patris* h. e. qui constanter in fide ad finem usq; vitæ perseverant, atq; finem fidei, nempe salutem animarum reportant. Ipsa Aug. Conf. ne vox *Electorum* in sensu alieno ad absolutum Dei decretum trahatur, aut qui forte Calvinianorum error patrocinetur, usa est voce *sanctorum & credentium*, ob appellationem latiore.

XXVIII. *His admixti sunt non sancti & hypocrite*, qui equidem quoad externam fidei & doctrinæ professionem, ut & sacramentorum usum in Ecclesia sunt, interim non vera

vera ejus membra existunt, quia internâ Spiritus sancti regeneratione & verâ fide destituuntur. Hoc declarat Salvator noster hinc inde elegantissimis parabolis, quod nempe in eodem agro sit et triticum & Zizania Matth. XIII. 24. in eodem verriculo pisces boni & mali Cap. eodem v. 48. in eodem ovili oves & hædi, Joh. X. 1. in eadem Vineâ diversi operarii Matth. XX. 16. cui *ὁμοψυχος* est Apostolus II. Tim. II. 20. *in magna domo* (quæ Ecclesia Dei est, I. Tim. III. 15.) inquit, *quædam vasa sunt aurea & argentea, quædam lignea & fætilia.*

XXIX. Pontificii & cum illis Bellarminus obeliscum merentur, quia peccatores manifestos, impios, infideles, aliosq; pessimæ vitæ homines pro Ecclesiæ membris agnoscunt, & vicissim non baptizatos, licet verâ fide præditi sint ab Ecclesiæ consortio excludunt. Illorum argumenta jam non examinabimus, sed potius, quia ubiq; brevitati est litandum, nostram sententiam uno atq; altero fundamento confirmabimus. Quod igitur *prius* attinet, vera Ecclesia *νεκρος* & principaliter sic dicta est congregatio sanctorum, dicitur ex hoc mundo evocata, jam vero omnes manifesti peccatores & improbi sunt de mundo h. e. nondum sunt regeniti & sanctificati. quia indulgent mundanis voluptatibus carnis. Præterea ipsis non competunt præclara Catholicæ Ecclesiæ encomia: quod nempe sit Christi corpus mysticum & spirituale, cujus membra reguntur Spiritu sancto in illis habitante, quæ omnia de infidelibus & impiis, quamdiu tales sunt & manent, dici nequeunt. Et quamquam illis locum concedamus in Ecclesiâ visibili & particulari propter externam societatem, tamen pro veris & vivis Catholicæ Ecclesiæ membris neutiquam eos agnoscimus, quia carent donis Spiritus sancti internis, fide, spe, & charitate, sed sunt veluti humores ac excrementa in corpore, quæ suo tempore ejiciuntur: Manent mortua membra, & sicut homo pictus æquivocè dicitur de homine, ita & tales.

XXX. Ad posterius dicimus, non posse illos ab Ecclesia excludi, qui baptismi nondum facti sunt participes: Non baptizatorum enim *quidam fidem contemnunt*, & à religione Christiana prorsus alieni sunt, hos Apostolos I. Cor. V. 12. τὰς ἕξω vocat, *alii verò fidem veram habent*, licet Sacramentum nondum acceperint, de posterioribus nobis in præfenti sermo est, non autem de prioribus. Fatemur quidem, omnes baptizatos in particularem aliquam Ecclesiam recipi, interim potest aliquis membrum Cath. Ecclesie esse, absq; Baptismo, quia non solum Baptismi Sacramentum est id, quod nos facit Christi & Ecclesie membra, sed præter hoc datur etiam auditus verbi Rom. X. 17. sufficit ergò non baptizatis, si vera fide præditi sunt, licet priventur Baptismo: Idem sentiendum de Martyribus, qui, licet ad gravissima abrepti supplicia, & lavacro regenerationis privati, tamen profusione sanguinis fidem suam ita animosè testati sunt, ut pro veris C. Ecclesie membris eos in dubitatè agnoscamus.

XXXI. Quæri hic etiam posset de *Angelis: An & illi sint Ecclesie membra propriè sic dicta?* Bellarm, lib. IV. §. 1. Franciscus Junius lib. de Ecclesia Cap. III. Polanus parte III. thes. p. 93. aliiq; plures id affirmant, nos negamus ob rationes sequentes: Ecclesia in his terris militans colligitur verbi prædicatione & sacramentorum administratione fideles in hoc cœtu Christo Capiti per fidem uniuntur, quæ de Angelis dici nequeunt, his enim non institutum verbi Ministerium, sed solis hominibus Marc. XVI. 15. *Christum non Angelos, sed semen Abrahæ assumpsisse*, testatur Cap. II. 16. Epistolæ ad Hebr. Loca scripturæ, Col. I. 20. Eph. I. 10. I. Tim. V. 20. ubi Christus dicitur Caput Angelorum, ipsiq; Angeli reconciliati & electi dicuntur, pulverem nobis ob oculos non spargunt, de quibus in conflictu. Angeli non sunt Ecclesie militantis membra, sed intersunt Ecclesie ut custodes & vigiles.

XXXII. Et ita ἐπιτόμως nostram proposuimus ἐπι-
νεύω quinam Ecclesie membra sint, & qui non! Dicen-
dum porrò de *Ecclesia visibili & invisibili*, cum nos lateat, qui,
quinam

nam sint sancti, & quinam hypoeritæ. Quæ distinctio non est realis, neq; generis in certas species, vel totius in partes, sed unius ejusdemq; Ecclesiæ in certas quasi differentias. Ecclesia vera per essentiam semper una est, neq; in species distingui potest, quia verò in hac vita multa accidunt Ecclesiæ veræ, ideoq; accidentium & circumstantiarum respectu, imò etiam ratione externæ formæ admittit distinctionem accidentalem seu modalem, quæ rem ipsam non multiplicat.

XXXIII. Credimus in symbolo nostro Apostolico Ecclesiam unam, ergò non introducimus duas *ἀλλοιούμενως* sibi invicem oppositas, sed quæ maximè sunt subordinatæ, ubi una alteram non tollit, sed simul consistere possunt. *Visibilis* dicitur Ecclesia respectu hominum vocatorum, qui in hoc externo cœtu versantur, verbum audiunt, & sacramentis utuntur: *Invisibilis* autem respectu Electorum, qui iterum sunt in duplici differentiâ: Nam & hi sub aspectum veniunt 1. quâ homines sunt, & pars Ecclesiæ materialis. 2. cœtus sacros frequentant, 3. verbi & sacramentorum ministerio utuntur: visum verò nostrum fugiunt, quatenus ut membra Christo capiti in corpore suo mystico per fidem uniuntur, ut & propter fidem salvificam & Electionem, soli Deo cordium scrutatori notam. *Novit Dominus qui sunt sui.* II. Tim. II. 19. & Joh. X. 14. Christus sibi soli notitiam suarum ovium adscribit. Eliæ conquerenti, quod solus remanserit, respondit Dominus: *Ego reservavi mihi septem milia, qui genua non curvarunt coram Baal,* I. Reg. XIX. 18. qui cœtus nulli hominum, nisi soli Deo, cognitus erat.

XXXIV. Quam maximè exosa, imò fudes in oculis Papistarum Ecclesia invisibilis sit, videre est satis ex illorum scriptis: *simpliciter* enim eam rejiciunt, imò nobis per calumniam affingunt, nos latebras quærere, eumq; in finem Ecclesiam invisibilem excogitasse, quò facilius evincamus, Ecclesiam sub Papatu fuisse conservatam, quia *successione non interruptâ* ab Apostolorum temporibus ad nostra usq; eam deduc-

C

dedu-

deducere nequeamus, Sed salva res est, licet publici & externi Ministerii non semper eadem fuerit facies, sufficit, nos habere partes essentielles, verbum nempe & Sacramenta, quibus Ecclesia salva & incolumis in hunc usque diem permansit.

XXXV. Bellarminus lib. III. de Ecclesia cap. XII. Coll. 180. contendit, nomen Ecclesiae, ubicunq; in scripturis legatur, semper visibilem aliquem coetum denotare. Huic errori fidem conciliare operose desudat, varia Scripturae loca convasando, imprimis Num. XX. 4. Matth. XVI. 18. Cap. XVIII. 17. Act. XX. 28. Gal. I. 14. aliaq; plura. Sed frustra sibi victoriam spondet, licet enim largiamur, in aliquibus scripturae locis Ecclesiae particularis & visibilis mentionem fieri, exinde tamen non recte infertur, nullum alium esse locum, qui de Ecclesia Catholica & invisibili agat. Contrarium videre est ex dictis Eph. I. 22. Cap. V. 25. Matth. XVI. 18. Quid dicemus de maxima illa & praestantissima Ecclesiae parte, quae beatorum in Coelis est? Certè hi humanis non amplius subjacent oculis! Multo minus in Ecclesia Militante quisquam iudicium ferre valet de vere credentibus & Electorum fide salvifica. Digito nobis si possunt, monstrant, Ecclesiae internam sanctitatem? Caput ipsum in hoc corpore mystico est invisibile I. Pet. I. 8. ipsa militia Ecclesiae militantis spiritualis est & invisibilis, ipsi hostes, ipse agonetha, ipsa arma sunt inconspicua, Eph. VI. 10. 11. seq.

XXXVI. Hinc in concussa nostra manet thesis, firmoq; stat fulcro, *totam Catholicam Ecclesiam esse invisibilem.* Creditur Ecclesia, ergo non videtur, quia fides est ελεγχῶ τῶν μὴ βλεπομένων Hebr. XI. 1. *per fidem incedimus, non per aspectum;* inquit Apostolus II. Cor. V. 7. *Et quid est fides, nisi credere, quod non vides?* Augustinus: *Qua apparent jam non fidem habent, sed cognitionem.* Gregorius homil. 26 in Evang.

XXXVII. Panopliam Adversariorum, quae in defendenda Ecclesia visibili utuntur, ipsi Disputationis nostrae
con-

consecrabitur examini: Jam demonstraturi brevibus, quomodo DEUS invisibilem suam Ecclesiam in mediis Papatus tenebris & sub corrupto publico Ministerio sartam tectamq; conserva-
verit. Ubi antea omnia fraudulenta Jesuitarum molimina & conamina sunt detegenda, ut constet, quem vapido gestent sub pectore vulpem rapidumq; leonem: quando enim vident, se causam cadere in discursu de vera Ecclesia, ultimum hoc illorum est κρησφύγετον, ut captiosam aliquam quaestione διὰ τῆς χρησηολογίας καὶ εὐλογίας τὰς καρδίας τῶν ἀκάκων decipiant, inq; suam nassam protrahant. Quaestio si instituitur: *Ubi fuerit vera Christi Ecclesia ante Lutheram durante Papatu?* Hic pulchrè sibi sapere videntur, nobisq; quam maximè illudunt, quod locum & personas ostendere nequeamus.

XXXVIII. Verùm, cum ejusmodi quaestiones, ut praesens est, potius otiosae, quam fructuosae sint, paucis tantum & quasi perfunctoriè eam delibabimus, duobus fundamentis: *Primo* DEUS ex singulari sua providentia ab initio N. T. inter gravissimas persecutiones, & densissimas papatus tenebras semper sibi semen & Ecclesiae reliquias servavit, neq; unquam porta inferorum adversus eam prevalere potuerunt vi promissionis Christi Matth. XVI. 18. *Deinde* collegit sibi Deus Ecclesiam in medio papatu ex infantibus baptizatis, qui per fidem Christo capiti uniti, atq; sic viva corporis sui mystici membra facti sunt, licet per aetatis defectum fidem suam explicitè profiteri non potuerint. Multi etiam ibi latitarunt homines pii & cordati Viri, qui animose Papae abominationibus resistebant, quamquam ob tyrannidem Pontificum apertè id fateri non auderent. Habuerunt simpliciores orationem Dominicam, Evangelia, Decalogum cum codice sacro, ex quo praecipua Christianae religionis fundamenta haurire, atq; ita piam vitam instituere poterunt. Et cum deniq; ad extremam vitae clausulam perventum est, omnes illi moribundi ad unicum Christi meritum vera fide procul dubio confugerunt, operum suorum im-

C 2

per-

perfectiōni diffidentes, atque ita fundamentum fidei apprehendendo, exustis igne tentationis errorum stipulis salvi facti sunt.)

XXXIX. Nulla proinde non urget necessitas, locum, ubi fuerit vera Christi Ecclesia ante tempora B. Lutheri, durante papatu, determinare, cum fatente ipso Jesuita Costero, Ecclesia Nov. Test. per totum mundum dispersa, non alligata sit certo loco. Et posito, *me locum & personas*, quæ tum temporis Christi doctrinam sunt amplexæ, à priori denominare non posse, etiam ubi Paradisus fuerit, nos latet ergone non fuit? Certè à mea ignorantia & negatione externæ apparentiæ, ad negationem ipsius essentiæ non valet consequentia. Sufficit interim nosse, Deum spirituales Ecclesiæ Paradisum sub papatu conservasse.

XL. *Tantum de materia.* FORMA Ecclesiæ est duplex: *Interna* quæ consistit *tum* in unione fidelium cum capite Christo Eph. I. 27. facta per Christi spiritum & veram fidem, hæc solis tantum verè credentibus, qui vera Ecclesiæ membra sunt, & à Christo vitam ac spiritum hauriunt Gal. II. 20. competit, reliquis autem tantum *ὁμολογησας*: *tum* in communione omnium fidelium veræ fidei & mutuæ Charitatis Eph. IV. 13. *Externa* posita est in unitate illorum, qui externè doctrinam veram profitentur, & Ecclesiæ visibili sese adjungunt.

XLI. Cum autem Romanenses adhuc hodiè de vera Ecclesia nobiscum contendant, sibiq; unicè præconia veræ Ecclesiæ tribuant & vendicent, summa requirit necessitas, ut notis aliquot propositis, hisque velut ad lydium lapidem examinatis, discrimen ostendamus, quænam Ecclesia sit Christi amabilis & pudica sponsa, & quæ Sathanæ Meretrix Babylonica.

XLII. Procedimus autem in assertione nostrâ stabilendâ *τὴν ἀνασκησινῶς* signa & notas Pontificiorum, quas Ecclesiæ suæ tribuunt, refutando, quia non sunt perpetuæ & inseparabiles, sed falsæ & adulterinæ, *τὴν κατασκησινῶς*

nos nostras notas ponendo, ut quæ essentialia, primaria & infallibiles sunt.

XLIII. Quàm pulchrè conspirent scriptores Pontificii, imò inconstantiam suam prodant in assignandis Ecclesie Notis, inde manifestum fit, quod *alii in defectu, alii in excessu peccent.* Lündanus in Panoplia lib. IV. cap. 83. ut & Canisius compendium facturum in Catech. Tractatu de præceptis Ecclesie Cap. IX. statuunt, *Pontificem R. esse indubitam Ecclesie notam.* Scotus facit duas Notas, nempe *unitatem & Concordiam:* Stapletonus III. Pistorius XII. his tamen omnibus fœcundior est Bellarminus, qui XV. notas Ecclesie suæ assignat, atque sub mirificæ distinctionis conditione eas proponit, protestando, quod quidem evidentiam non veritatis, interim tamen evidentiam credibilitatis gignant. Sed hoc ipso Jesuita suas notas quam maximè reddidit suspectas, quis enim illis fidem adhiberet, si veritate destituuntur.

XLIV. Nos missis aliorum Notis in præsentia, unicè tantum Bellarminianas ad rationis obrusam jam examinabimus, & quid ponderis habeant, breviter, quantum fieri potest ostendemus. I. igitur Nota est CATHOLICA APPELLATIO. *Cum ex Adversariis (ait) quidam Lutherani, quidam Calvinistæ & Zwingliani vocentur, nostrum verò nomen à nullo homine deductum sit, necessario hinc sequitur, nostram Ecclesiam, quæ vocatur Catholica, esse veram.* Sed quam infirmum & elumbe sit hoc argumentum, quilibet videt: Illi quidem vocantur Catholici, cum tamen nec loci, nec temporis, nec fidei & doctrinæ ratione tales sint: Conclusio à nudo nomine ad rem ipsam nulla est, non qui sic vocatur est Catholicus, sed qui veritatem religionis & fidem Catholicam tenet. *Multi vocantur Medici qui curare nesciunt, sæpè salutatur virgo, quæ est nobile scortum.* Addimus & hoc, quod Catholicum nomen non possit esse vera Ecclesie nota, quia non cum ipsa Ecclesia cœpit, sed demum post Apostolorum tempora usurpatum, nos autem requirimus tales notas

quæ sunt essentielles, inseparabiles, imò quæ Ecclesiæ soli & semper conveniunt, ast notum est, etiam hæreticos hoc nomen sibi adscribere.

XLV. II. Nota est ANTIQUITATIS GLORIATIO. Sic colligit: *Antiquissimum quoque verissimum*, atqui doctrina nostra antiquior est Lutheranâ E. illorum falsa & nostra vera est. Quid de hac sit statuendum Notâ, adjicimus sequentia; Antiquitatem Ecclesiæ non soli & semper convenire, neque affectionem esse essentialem, intrinsecam & infallibilem, cum etiam Ecclesiæ malignantium & Synagogæ sathanæ conveniat, quæ antiquior longè est Ecclesiâ Romanâ. Non semper Ecclesia habuit antiquitatem, sed aliquando sine hac fuit: sicut principium rei non est antiquum, ita Ecclesia habens principium non fuit antiqua & nihil impedit, quo minus aliqua Ecclesia vera sit, licet splendido & glorioso hoc antiquitatis titulo careat, adde, quod *antiquitas sine vera doctrina sit erroris vetustas*.

XLVI. Ansam exinde arripiunt Pontificii, nobiscum contendere de verâ Ecclesia: Nostram ut *Novam* repudiant eique laudem veræ Ecclesiæ detrahunt, quia secundum illorum opinionem initium demum sumpsit ante paucos annos, & à Luthero fundata est Anno 1517. Nos, ut falsum hoc Adversariorum commentum prosternamus, duo imprimis reponimus: *Primò* Ecclesiam Romanam hodiernam (de primitiva quæ ab Apostolis fundata fuit, nobis jam sermo non est) non esse veram, licet antiquitatem jactet. Non est antiquum, quod Prophetarum & Apostolorum destituitur testimonio: Illi, moderna novaque, scripturis & Apostolicis scriptis adversantia dogmata fovent ac propugnant, quod facili negotio ostendi potest: De verbo Dei ita contumeliosè loquuntur, illud vocando literam mortuam, nasum cereum, similem Æsopi fabulis, & nescio quibus convitiis scripturam proscindunt. Quis quæso unquam ex Apostolis docuit de Purgatorio, de invocatione sanctorum, de Communionem sub una specie, de Meritis bo-

no,

norum operum ad salutem, de Missâ, aliisque. *Deinde:* nostram doctrinam potius firmam & veram esse dicimus, quia Catholica & Apostolica est: Nostra Ecclesia non aliam habet fidem & doctrinam, quam Apostolorum, in sacris literis radicatum, unicum tantum salutis fundamentum agnoscit nempe Christum. Conservato igitur S. codice non potuit fides nostra, quæ tota in Bibliis fundata est, perire aut everti.

XLVII. Desinant hinc Jesuitæ B. nostro Lutheri crimen falsi affricare, eumque scepticè exagitare, quod novam aliamque fidem scripturis contrariam, in medium producerit, cum tamen ipsius doctrina *per omnia* scripturis sit *ὀυόψηφθη*, quique divino adjutus auxilio, religionem Christianam per seculi istius malitiam quasi emortuam & depravatam purgavit, humanarum traditionum fermento conspurcatam, in lucem iterum protraxit, ab erroribus & gravissimis papatus tenebris vindicavit, imò pristino suo splendore & integritati restituit. Aliud ergò est τὸ εἶναι & aliud δοκεῖν. *Videtur religio nostra ipsis nova, quæ tantum est renovata, reducta non noviter introducta*, non secus ac Christi & Apostolorum doctrina Judæis & gentilibus videbatur nova, quæ tamen ἀληθῶς & in rei veritate talis non erat.

XLVIII. III. Nota est DIUTURNA ET NUNQUAM INTERRUPTA DURATIO. Quod vi promissionis Christi verum est de Ecclesia Catholica ad finem usque mundi duratura. Matth. XVI. 18. Cap. XXIV. 24. negamus verò de Ecclesia Pontificiâ, quæ particularis & visibilis est, cui promissio ista de perpetua duratione non est facta: Manet Ecclesia Catholica, licet particularis aliqua deficiat: Nostra Ecclesia perpetuò duravit quoad doctrinam & fidem Catholicam, etiam in mediis papatus tenebris, uti supra th. 37. id ostendimus: ibi quoad publicum Dei cultum tamdiu occulta fuit, donec Lutherus eam pristino splendore & puritati restituit.

XLIX.

XLIX. Cum hac nota, quæstio illa, *An Ecclesia possit deficere*, maximam quia habet convenientiam, ea paucis etiam est perstringenda. Ut status controversiæ rectè attendatur, præsupponimus, nos non loqui de *Ecclesia Catholica & invisibili*, quæ semper duratura erit, & nunquam interitura quod Salvator noster eleganti $\pi\rho\sigma\delta\iota\omicron\pi\sigma\mu\omega$, innuit Matth. XXIV. 24. *Surgent Pseudoprophetae, signa daturi & prodigia magna, ita ut in errorem ducantur Electi ei ducatorum si fieri posset, si possibile esset.* Sed lis est de *Ecclesia visibili & particulari* an illa ita deficere, & ad summam paucitatem redigi possit, ut non inveniatur amplius cœtus aliquis publicus, in quo verbum Dei doceatur, & sacramenta administrantur. Negativa arridet Bellarmino, nos affirmamus ob hanc rationem: *Vera Ecclesia non alligata semper est ad certum tempus, locum & personas*, quod videre est ex Novo & Veteri Testamento. Tota visibilis Ecclesia tempore Eliæ defecerat, DEUS tamen invisibilem aliquam Ecclesiam nempe 7000. conservaverat. Inter tot abominanda persecutionum genera tamen mansit Ecclesia occulta inque terræ cavernis abscondita. Tempore passionis CHRISTI miserabilis status erat: Judas Christum prodidit, Petrus abnegavit, reliqui præ metu aufugerunt, quæ omnia luculenter ostendunt, Ecclesiam visibilem deficere posse.

L. IV. Nota est **CREDENTIUM AMPLITUDO ET VARIATIO.** *Nostra Ecclesia*: inquit Bellarminus, *amplissima & per totum terrarum orbem sparsa est E. Catholica & vera.* Falsa etiam & hæc nota est, quia separabilis & Ecclesiæ non soli & semper convenit. Quis enim nescit, Ecclesiam ab initio exigua habuisse incrementa, atque in fine Mundi ad summam paucitatem redactum iri? semper Ecclesia Sathanæ hoc in Mundo amplior fuit Ecclesiâ CHRISTI: potest nihilominus vera aliqua Ecclesia esse, licet sit pusillus grex. Igitur amplitudo loci & personarum, sine doctrinæ & veræ fidei amplitudine, de essentia Ecclesiæ non est, licet vel maxime eâ gloriantur.

LI. V.

LI. V. *Nota est* EPISCOPORUM SUCCESSIO.

Provocat Bellarminus ad Patrum Authoritatem, qui successionem veram Ecclesie notam constituunt; sed cum duplex sit *successio, alia doctrina, alia loci & personarum*, illi non disjunctim, sed conjunctim eam intelligunt, scientes, quod successio personalis absque doctrina Apostolica nullius momenti sit. Nos missa successione doctrinae & fidei, qua Pontificii carent, hac vice de personali agemus, an nimirum hæc sit vera Ecclesie nota? Hoc simpliciter negamus: successio est externum saltem accidens, quod Ecclesie non soli & semper convenit; Fuit Ecclesia vera, antequam talis successio habuit locum. Et quis probaret successionem illam personalem, *vi, fraude, simonia, aliisque rebus magicis extortam*, uti de Bonifacio VIII. illud tritum constat: *Intraivit ut vulpes, regnavit ut leo, mortuus est ut canis*. Sæpius illa successio fuit interrupta, incerta & dubia, tum *ratione originis* tum *ratione continuationis*, quæ omnia nisi temporis & pagellarum angustia nos breviores esse juberent, ad oculum demonstrare possemus.

LII. VI. *Nota est* ECCLESIE R. CUM ANTIQUA INDOCTRINA CONSPIRATIO. *Nostra Ecclesia, non aliam doctrinam agnoscit, ait Jesuita, quam quæ ab Apostolis tradita: & certum est, Ecclesiam antiquam primis quingentis annis veram fuisse, & proinde doctrinam Apostolicam tenuisse*. Latet hic anguis in herba, dum illi fraudem occultant in voce antiquæ Ecclesie, quæ sumitur vel pro *vera & primitiva illa Ecclesia, doctrina Prophetarum & Apostolorum superstructâ, vel pro subsequente illa Ecclesia post Christi & Apostolorum tempora, in qua vixerunt Patres*. *Priori modo Pontificii gloriari nequeunt de conspiratione R. Ecclesie cum Ecclesia & doctrina Apostolica, cum nova illorum dogmata & traditiones humanæ temporibus Apostolorum planè in cognita, scripturae $\delta\iota\varsigma\ \delta\iota\alpha\ \pi\alpha\tau\acute{\alpha}\nu$ repugnent, quibus etiam consensus Patrum in multis è diametro adversatur*. *Posteriori modo verò consensum & doctrinam Patrum, cum quibus Pontificii, ceu Ecclesia antiqua conspirare videntur, non posse*

D

certam

certam & infallibilem notam constitui, ex eo patet, quia Patres ipsi in multis graviter errarunt, neque inter illos unus idemque est consensus: Ad solam ergo Scripturam, tanquam ad infallibilem normam semper est provocandum, inque hac conveniendum, quam seposita, haec nota corrumpit.

LIII. VII. *Nota est MEMBRORUM ECCLESIAE UNIO inter se & cum visibili capite seu Pontifice Romano: Pro-* ducit Bellarminus Scripturae loca ad hanc notam stabilendam Eph. IV. 5. Rom. XII. 5. ubi Ecclesia dicitur una & unum corpus. Ad haec R. 1. dicta haec, de Ecclesia invisibili agunt, quae est corpus Christi mysticum, non vero de visibili quae ex notis cognoscitur. 2. *unitas per se & solitariè sumpta,* nisi conjunctam habeat veram doctrinam & fidem Apostolicam, non est vera Ecclesiae nota, nam communis Ecclesiae malignantium & Regno Sathanae, neque perpetua est illa unio Pontificia cum capite, fuit enim quandoque interrupta, & diu vacavit sedes papalis, ubi nullus Papa erat. Unitas ergo illa desit, & cum hac Ecclesia: 3. Scriptura non Papam, sed Christum pro vero Ecclesiae capite agnoscit, praeter hoc nullum aliud.

LIV. VIII. *Nota est DOCTRINAE SANCTITAS. Ver-* ba Jesuitae sic se habent: *Ecclesia nostra Catholica nullum erro-* rem, & nihil contra rationem docet, proinde sola est absolutè *san-* cta. Quam verissima haec omnia sint, scilicet, illorum scrip-
pta probant, si modo illa examinare vellemus ad praecipua
Decalogi, & fidei articulos: proh Deum in mortalem, quan-
tus Atheismus, qualiaque paradoxa inde emergerent? Ad
externam vitae sanctitatem etiam haeretici & Hypocritae pro-
vocant, ergo hanc notam quia soli Ecclesiae non competit,
rejecimus.

LV. IX. *Nota est DOCTRINAE EFFICACITAS. Si ista* doctrina intelligitur efficax esse, *quae insitam vim habet con-* vertendi homines ad Deum, ab erroribus ad veritatem, a pec-
catis ad justitiam, ultrò largimur, hanc notam esse legiti-
mam, Scriptura praeeunte Psal. XIX. 8 & per integrum fer-
mè Psal. CXIX. Rom. I. 16. Hebr. IV. 12. Si vero per hanc in-
digi-

digitatur *nuda vis persuadendi homines*, ea non est certa Eccle-
siae nota. Homines enim interdum procliviori mentis im-
petu ad viam latam, quam ad angustam feruntur, & major
sæpè hæreticæ doctrinæ est applausus, quam veræ. Nec
est, quod objiciant, *nostram doctrinam vix unum aut alterum
convertisse* R. ipsi doctrinæ hoc non tribuendum est, quæ
cum Apostolorum eadem, sed personis, quæ partim semen
verbi divini recipere recusant, partim, quia Deus hodiè sua
dona variè distribuit, igitur absente actu secundo non sta-
tim negandus est actus primus. Neminem latet, puto, quis
modus in papatu convertendi homines ad suam religionem
habeatur, non verbo, sed ferro, funibus & flammâ, mundi
delitiis, aliisq; fallaciis, homines simplices in suam massam
protrahunt, & ita egregiè convertunt.

LVI. Nota X. est VITÆ SANCTITAS. Mera hic la-
tet hypocrisis, *ipse demon in Angelum lucis se transformat*, Sic illi
patres & Monachi sub sanctitatis prætextu impurissimi ne-
quam sunt. In impurissima Babylone vigent adulteria, ho-
micide, injustitia, superbia, luxuria, avaritia, aliaq; scelera,
quæ proferri à me nequeunt omnia, de cujus corruptissimo
statu proprii ipsorum scriptores conqueruntur: *Multos
Pontificios ejusmodi vitam beluinam agere, ut verisimile non sit,
eos vel resurrectionem vel vitam eternam credere*. Igitur hæc
nota falsa est, cum hypocritis *αοφωσι ενυπεβείας* habenti-
bus competat.

LVII. Nota XI. est MIRACULORUM GLORIA. Idem protervè nobis insultat, *quod ne claudum quidem canem
aut musam excitare possimus*, sed in R. Ecclesia adhuc hodiè
miracula fieri gloriantur. Jactant quidem, sed reipsâ non
probant: Si possunt miracula tot edere, cur non in Germa-
nia illud sit? Cur ad remotissîma loca nos ablegant? ubi
verum est, quod Canus Hispanorum proverbio dici ait:
De luengas vias, luengas mentiras. Plerumq; illa miracula,
sunt fallacia, diabolica, puerilia, absurda, & dictu pudenda.
Olim in primitivâ Ecclesiâ Apostoli dono miraculorum
fuerunt donati & ornati, jam verò progressu temporis ista

miracula cessare debuerunt. Non ergo hodiè miracula amplius necessaria sunt, cum doctrina nostra multis miraculis tum Christi, tum Apostolorum confirmata sit: Falsa ergo est & hæc nota, cum & AntiChristus secundum cooperationem sathanæ magna faciat signa & prodigia II. Thess. II. II. & Matth. XXIV. 24.

LVIII. Nota XII. est LUMEN PROPHETICUM. Urget Bellarmus imprimis verba Joel II. 28. 29. ubi Deus donum prophetiæ promittit: sed quod de præcedente nota diximus idem esto iudicium de hæc: eam nempe spuriam esse, quia non perpetua, & essentialis est: Fuit donum extraordinarium in primitivâ Ecclesiâ, hinc minimè trahi potest ad Ecclesiam R. Est præterea communis Pseudoprophetis, quod patet Exemplo Bileami Num. XX. 16. Pythonissæ I. Sam. XXVIII. 19. Ipse Diabolus quoq; tantâ naturæ subtilitate experientiaq; temporum pollet, ut prædicat quandoq; futura, partim ex probabili coniectura effectuum ex causis in actu existentibus, partim ex divina revelatione. Interim solius Dei proprium est, futura contingentia prædicere, quæ nobis hominibus ipsiq; Angelis plane sunt abscondita.

LIX. XIII. est Nota ADVERSARIORUM CONFESSIO. Profert Bellarmus verba Lutheri in libro contra Anabaptistas scribentis: *Nos fatemur in papatu esse Scripturam, Baptismum & sacramentum altaris, absolutionem &c.* Sed distinguo inter ipsum papatum, & Ecclesiam, quæ sub papatu est conservata, non lecus ac pretiosum sub vili, & scintillæ sub cineribus De vera Ecclesia ibi loquitur Lutherus, & non de Ecclesia Pontificiâ, ubi variæ corruptelæ, idololatriæ aliaq; scelera vigent: proinde & hæc nota nobis displicet, cum non essentialis, propria, & perpetua sit. Potest aliqua Ecclesia vera esse, licet adversariorum & veritatis testimonio destitua-
tur.

LX. Nota XIV. est INFELIX ADVERSARIORUM EXITUS qui Ecclesiam oppugnabant. Hoc probat partim historiis, partim Scripturæ exemplis, quod Ecclesiæ persecutores tragici & funesti manserint exitus. Verùm hæc probatio

batio videtur esse aliena, quippe, quæ ostendit, hostes Ecclesiæ Christi, non Papæ aut Ecclesiæ R. miserè perisse, sed quicquid sit, hæc nota etiam manet notha, cum non essentialis, perpetua, & infallibilis sit, sed communis sanctissimis Dei viris, qui perverso mundi iudicio ferro & flammis sunt adjudicati, aliòq; supplicii genere vitam miserè finierunt. Quandoq; Ecclesiæ Turbatores pacatè & tranquillè animam expirarunt, imò & ipsos Pontificios sæpè tragicos habuisse casus, testantur Historiographi.

LXI. XV, & ultima Nota Ecclesiæ est TEMPORALIS FELICITAS. Quæ nota ideò falsitatis arguitur, quia repugnat scripturæ, pios & vera Ecclesiæ membra in hoc mundo pressuram habitura, non autem temporali felicitate usura Joh. XVI. 20. 23. Act. XIV. 22. II. Tim. III. 12. Joh. XXI. 7. 8. Psal. LXXIII. 12. Intuere Salvatorem tuum, tot tantisq; calamitatibus circumfusum qui per passiones ad gloriam intravit, Luc. XXIV. 26. ideo Te fidelis anima sponso tuo conformari oportet Rom. VIII. 29. potius felicitatem temporariam relinquimus impiis, & Ecclesiæ Diabolicæ, quam Ecclesiæ veræ.

LXII. Tantum de Notis Bellarminianis, quas ille Ecclesiæ Romanæ attribuit. Antequam ad alia descendamus, operæ pretium facturi videbimur, nostra *γνωρίσματα* ut paucis proponamus, iisdemq; orthodoxiam nostram confirmemus, quo veritas Ecclesiæ constet, cui nos adungere debeamus. Istæ notæ, quas Ecclesiæ nostræ assignamus sunt in duplici differentia: *quædam enim essentielles, propria & primaria sunt, quædam verò accidentales, communes, & secundaria.* Priorem classem quod concernit, ex sunt SINCERA VERBI PRÆDICATIO, & LEGITIMA SACRAMENTORUM ADMINISTRATIO. Ubi enim verbum Dei purè sonat & sacramenta rectè dispensantur, ibi Deo colligitur Ecclesia, & sicut secundum Philosophorum. Axioma forma dat esse rei, ita hæ notæ sunt forma Ecclesiæ externa, quæ illam infallibiter ostendunt.

LXIII. Alias si accuratè & in rigore de his notis Ecclesie loquimur, sacramentorum administratio *non est absolute & simpliciter necessaria*, nam ad tempus intermitteri potest, salva interim manente Ecclesia, quod probamus Ecclesie Israeliticæ exemplo, in qua sacramentum circumcisionis per totos quadraginta annos ob peregrinationis diuturnitatem non fuit administratum. Interim si nullum necessarium impedimentum administrationem sacramentorum prohibuerit, illam omnino necessariam, nec ullo modo omitterendam esse asserimus, sicut hoc ipsum efflagitat Christi mandatum & institutio. Proinde in Ecclesia constituta cum verbi prædicatione hæc semper est conjungenda.

LXIV Quod Bellarm lib. IV. de Eccl. Cap. 11. nobis objicit dissensionem atq; opinionum varietatem apud nostros Theologos, in assignandis Ecclesie notis; ad illud dicimus, dissensionem in verbis esse sed consensum in re. B. Lutherus, quando septem Ecclesie notas facit in libro de conciliis & Ecclesia, *mox subjungit, omnes illas notas, exclusâ primâ non esse simpliciter necessarias, sed quia diversi sunt generis, ideò revocari posse ad primam notam, quæ sola sufficienter Ecclesiam ostendit.* Ad hanc notam principalè Spiritus S. aliquoties in Codices provocat, cum ex professo mentio sit Ecclesie. Eph. II. 20, dicitur Ecclesia fundata in doctrina Prophetarum & Apostolorum, Matth. XVIII. 20. *Ubi duo aut tres congregati sunt in nomine Christi &c.* qui locus clarissimè evincit, illam esse veram Ecclesiam, quæ Christi gratiosâ præsentia fruitur, non autem aliter Christus Ecclesie suæ præsens est, quam per verbi sinceram prædicationem. Doctrina Prophetarum & Apostolorum est inseparabilis ac infallibilis Ecclesie nota, quamdiu enim hæc sonat, tam diu quoq; Ecclesia manet, hæc penitus sublatâ, ipsa interit: Ecclesia igitur non aliter quam ex sinceritate doctrinæ æstimari debet: sicut effectus proprius arguit suam causam à posteriori, & causa ostendit proprium suum effectum à priori, ita quoq; hæ notæ probant Ecclesiam veram esse, & vicissim, ubi pura Ecclesia est, ibi signa hæc inveniuntur, quod ipsi adversarii, licet inviti, fatentur.

LXV.

LXV. Porrò ne silentii peplo involvamus observatio-
nem illam scitu dignam, quod hæc duæ notæ, secundum di-
versum considerandi modum sint, & *causa efficiens organica*
colligendi Ecclesiam, & *causa formalis* Ecclesiæ conserva-
ndæ, dum & ipsa ex verbo discit, sunt quoq; hæc notæ *effectum*
seu officium Ecclesiæ jam constitutæ, quatenus alios docet
& informat.

LXVI. Altera classis continet Notas accidentales &
secundarias, aut saltem ad primam nostram pertinentes,
quia fluunt ex verbi prædicatione & sunt 1. *Unitas*. 2. *San-*
ctitas. 3. *Universalitas*. & 4. *ut sit Apostolica*, quæ ostendunt
imprimis Ecclesiam N.T. de quibus paucis agemus. UNA
est Ecclesia, quia ab uno Domino colligitur I. Cor. VIII. 6.
unam fidem & doctrinam amplectitur, uno Baptismo rege-
neratur Eph. IV. 5. uno spiritu regitur, uno Eucharistico pane
pascitur, uno charitatis vinculo in corpore mystico cum
capite Christo copulatur, & ad unam tandem hæreditatem
vitæ æternæ aspirat & tendit. Verum cum Ecclesiæ unitas
quoad veram fidem & doctrinam Apostolicam in hac mor-
talitate omnibus numeris perfecta & absoluta non sit, sed
demum in Ecclesia Triumphante expectanda, ubi nulla am-
plius erit dissensio, sufficit nobis interea *unitas fundamen-*
talis, in principalibus fidei Articulis] salutis fundamentum
ἀμετάωτος concernentibus, quanquam in Ecclesia militante
interdum controversiæ quædam incidant de nonnullis a-
diaphoris, de hoc aut illo scripturæ loco rectè interpretan-
do, aliisq; rebus, Ecclesiæ tamen fundamentum firmum ma-
net salvumq;.

LXVII. Ipsa vero Ecclesiæ Unitas cum fundata sit in
unitate cum capite Christo, hinc merito Papam rejicimus,
quia nequaquam ejusmodi Vicario Christi in his terris &
successore Oecumenico in Regimine Ecclesiastico indige-
mus, nam Christus munere suo se non abdicavit, sed manet
Ecclesiæ suæ caput, Episcopus, Ἀρχιεπίσκοπος, ac unicum salu-
tis fundamentum Col. II. 19. I. Pet. V. 4. I. Cor. III. 11. quin
etiam adest corpori suo mystico semper præsentissimus et-
iam

iam quoad humanitatem, eamq; potenter conservat ac gubernat, uti promissionum veritas docet Matth. XVIII. 20. & Cap. XXVIII. 20. Ecclesia non est *ἄριον πολυκέφαλον*, sed unico contenta est capite & sponso.

LXVIII. SANCTA dicitur Ecclesia, non ob sanctitatem inherentem, quæ admodum tenuis, imò nulla est, sed ob sanctum sanctorum Dan. IX. 24. Hebr. VII. 26. cujus sanctitas Ecclesie per fidem imputatur I. Cor. I. 30. in verbo & sacramentis offertur & confertur Eph. V. 26. 27. Joh. XVII. 17. & vocatione sancta vocatur, II. Tim. I. 9. & ipse Spiritus sanctus in hoc cœtu credentes sanctificat, atq; sanctitatem in cordibus operatur. Vocatur etiam sancta, quia operibus sanctis Deo inseruit Luc. I. 75. vitæ sanctimonie studet, atq; ad perfectam tendit sanctitatem. Hypocriticam autem & externam illam Monachorum sanctitatem vera Ecclesia ex animo detestatur, ut est vita monastica, amiculum linteum, paupertas spontanea, ieiunium, perpetuus cœlibatus, aliaq; sanctitatis officia, præter & contra scripturam excogitata, uti non incommode Innocentius serm. 2. de his loquitur: *Monachi foris nitent sanctitate, intus scatent iniquitate, corpus in choro, animus in thoro: Nocte Venerem amplexantur, mane virginem venerantur.*

LXIX. CATHOLICA appellatur I. ratione Catholica fidei & doctrine Prophetarum ex Apostolorum tempore N. T. per totum orbem diffusæ, quæque ab Ecclesia unanimi consensu approbatur, hoc respectu & Vet. & Nov. Test. Ecclesia, poterit dici Catholica, utraq; enim superstructa est doctrinæ de Christo Eph. II. 19. 20. Act. XV. 11. Eph. IV. 2. 2. ad differentiam Ecclesiarum particularium, quæ in toto Mundo hinc inde sparsæ sunt, ex quibus postea ceu membris, una colligitur Ecclesia Catholica 3. ad distinguendam Ecclesiam Vet. Test. ab Ecclesia Nov. Test. quæ sola est Catholica, si respicimus tempora, loca & personas. *Ista tantum duravit usque ad Messie adventum, erat alligata ad tabernaculum, & ad certum denique populum: Hac autem ab ipsis* Apo

Apostolis in universum Mundum profeminata ad nulla certa individua, tempora, & loca restricta est, omnibus ad hanc Ecclesiam patet aditus Gal. III. 28. hæc etiam firma permanebit ad ultimum illum diem censorium, contra omnes Mundi, & Sathanæ furores.

LXX. Hoc ipsum vocabulum *Catholicum* in S. Codice quoad nomen est ἀγραφον, quoad rem vero ἐγγραφον, & post Apostolorum tempora demum usurpatum: Nobis idem est ac Christianum, orthodoxum, quia Christianorum nomen per totum orbem est dispersum, & hæreticis oppositum, qui à verâ & Catholicâ Ecclesiæ doctrinâ recedunt. Pontificiis nihil prodest universalitas loci & temporis, cum destituantur universalitate veræ fidei & doctrinæ Catholicæ, Ecclesia moderna Romanensium à fundamento sanæ doctrinæ recessit, illamque deformarunt τῶν ἀνθρώπων ἐνταύμασι. hinc tantum abest, ut illorum Ecclesia sit Catholica, quia non solum finibus certis circumscripta, sed etiam ad certum locum, nempe Romam, alligata est: Quantum igitur particulare ab universali, omne ab uno, totum à parte, species à genere distat, tantum etiam Ecclesia Pontificia, quæ particularis est, à Catholica differt.

LXXI. Addimus & hoc, Ecclesiam Catholicam *proprie ita loquendo*, non esse ejusmodi cœtum perspicuum & illustrem, qui omni tempore, & in quovis terræ angulo actu inveniatur, quod Salvator noster ipse, Matth. XXIV. 24. Luc. XVIII. 8. prædixit, nempe, tantam fore Electorum paucitatem, fidemque arctis inclusum iri terminis, in fine Mundi, ob gravissimas hæreses, persecutiones, ut & AntiChristi seductiones, ita, ut nulla appareat Ecclesia. Hoc igitur volumus, eam non ad certum locum & populum alligari, sed *successivè* propagandam esse in universum Mundum: *Ubicunq;* enim *hodie verâ Ecclesia non est, ibi aut fuit aut eò perveniet.*

LXXII. APOSTOLICA tandem vocatur in nostro Symbolo, non solum quia ab Apostolis per prædicationem

E

Euan.

Euangelii in Nov. Test. plantata est, sed potissimum *ob fundamentum Prophetarum & Apostolorum quorum doctrina Ecclesia superadificata est* Eph. II. 19. qua etiam ad finem usque seculi propaganda & conservanda. Iterum Pontificii vanissime gloriantur, Ecclesiam Romanam verè Apostolicam esse, quia gaudeat Apostolorum fundatione à Petro usque ad hodiernum Pontificem, ut & sinceram & incorruptam verbi prædicationem habeat. Neutra sententia vera est, firmisque stat fulcris: Quicquid illi de primatu Petri somniant, scriptura ne γρη quidem habet. imo & ipsi Pontificii scriptores de origine & continuatione hujus successionis ita fluctuant, & ἀσύμφωνοι sunt, ut quid certi nos edoceant, ignorent.

LXXIII. *Αποτόμως* etiam negamus, illorum doctrinam & fidem, quam hodiè profitentur, esse veram & Apostolicam, cum traditiones suas & dogmata scriptis Prophetis & Apostolicis non solum adæquent, sed *& pari pietatis affectu*, esse amplectenda, statuunt. Hinc potius *Apostolica* quam *Apostolica* dici meretur illorum Ecclesia. Nam nec in doctrina puritate, neq; in vita sanctitate, vel in ministerii humilitate, vel in Apostolatus dignitate conveniunt sed sunt *ἀντιδοχοί* à fide Petri discedentes, ideò etiam facti sunt *ἀντιθρονοί*, in contraria cathedra sedentes.

LXXIV. Ecclesiae *adjunctum* est **AUTHORITAS**. quæ à nobis magni æstimanda, cum super vocem Christi ædificata sit atque *σύλη & ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας* vocetur ab Apostolo, I. Tim. III. 15. Hæ duæ voces non sumuntur hic *Arbitrè* & *Arbitrè*, quasi Ecclesia sit sustentaculum & fundamentum domus, sed in sensu forensi, ubi in curiis & ante prætoriam ejusmodi tabulæ & columnæ ponuntur quibus postea autoritate publica leges & programmata affigi solent, qui mos adhuc hodiè in quibusdam Academiis viget: Hinc Ecclesia per quandam Metaphoram & Metalepsin veritatis columna dicitur non quidem *per se absolute* sed *ὀργανικῶς* obicustodiam & publicum veritatis testimonium.

LXXV.

LXXV. Admiranda est Pontificiorum impudentia, qui scripturæ authoritatem dependere ab Ecclesiæ Authoritate, asserunt, & ita Ecclesiam supra scripturam tollunt; imo quidam ex illis eò blasphemix & temeritatis progrediuntur, ut scribere non dubitent, Scripturam S. sine testimonio Ecclesiæ tantum valere, quantum Æsopi fabulæ, hoc ipso laudem scripturæ debitam ausu plusquam giganteo impudentissimè detrahunt, & hac ratione non pro unica & sola fidei Cynosurâ agnoscunt: Sed linquimus illos, & majorem facimus scripturæ Authoritatem, cum hæc sit *αὐτόματος*, quia *θεὸς πνεύς* omnemq; fidem & Authoritatem ex se habeat. Ecclesia saltem præbet testimonium: sicut igitur testis non semper major est ipsâ re de qua testatur, ita nec Ecclesiæ major erit Authoritas, quàm scripturæ.

LXXVI. Nolumus hic omnia *ἀκριβέστερον* persequi, cum de Authoritate Ecclesiæ operosè etiam agatur in loco de Scriptura S. Ex dictis, de Authoritate Ecclesiæ, fuit quæstio illa nobilis & satis controversa inter nos & Pontificios: *An Ecclesia errare possit?* Illi simpliciter negant, nos sano & sobrio sensu illud affirmamus, & de distinctis distinctè respondemus: *Primò:* Ecclesiæ vocem valdè ambigam esse, ex antecedentibus constat: De *Ecclesia Triumphantè* res est manifesta, quippe quæ ab omni erroris metu libera est, neque ullis errorum nebulis obduci potest amplius: *Ecclesia militans*, quamdiu audit vocem sponsi sui, & Spiritu Dei regitur, erroribus non succumbit. freta infallibili *Spiritus S. in omnem veritatem illam per ducturi*, promissione, Joh. XVI. 13. *Tota igitur Catholica & invisibilis Ecclesia* non errat, nam si portæ inferorum adversus eam prævalerent, promissi veritas redderetur irrita atque vana: Verum *particularis & visibilis Ecclesia* errare potest, imo ipso actu erravit gravissimè, & in totum defecit, adeò ut nullus illustris cœtus apparuerit, sicut tam V. quam N. T. exempla nos docent.

LXXVII. *Deinde alius error est in fide, alius in moribus:* In *bis* etiam verè Credentes & electi quandoque aberrant: Errores circa fidem sunt vel *fundamentales & primarii*, qui directè fundamentum salutis evertunt, in hos Ecclesia Catholica nunquam impingit, hoc enim si fieret portæ inferorum adversus eam prævalerent: vel sunt *leviores & secundarii*, qui cum fundamento fidei consistere possunt, quibus ipsi Electi ad tempus quidem involvuntur *actu sed non finaliter*, nam ante finem vitæ ex illis iterum emergunt, alias finem fidei nempe animæ salutem non reportarent.

LXXVIII. Scripturæ dicta Jes. LIX. 21. Matth XXVIII. 18. Cap. XXVIII. 20. Joh. XIV. 17. aliaque quæ nobis à Pontificis R. mancipiis, pro Ecclesiæ ab erroribus immunitate objici solent, nos non feriunt. Utriusque tam Vet. quam Nov. Test. insignes *illæ promissiones* de divinâ protectione, CHRISTI præsentia, & perpetua Spiritus Sancti adfuentia *non sunt absolute, sed omnes conditionate*, & cum certa restrictione intelligendæ, quamdiu nempe Ecclesia debitam obedientiam, verumque cultum præstiterit DEO, tamdiu non erraturam Joh. VI. 37. Hebr. III. 6. Joh. XV. 14. Rom. XI. 19. 20. seq. sicut Maritus promisit, se per omnem vitam sponsæ suæ fidelem fore, ergò ipsius sponsa non potest adultera fieri? pari ratione Christus Ecclesiæ sponsæ præsentiam suam promisit perpetuam, si constans permanferit, & tamen sæpissimè accidit, ut per imbecillitatem erret, atque ita à sponso suo sese avertat, & spe conjugii excidat.

LXXIX. FINIS Ecclesiæ constitutæ est vel *primarius* Eph. I. 6. Rom. IX. 23. I. Pet. V. 10. Lapsis enim Protoplastis noluit eos cum posteritate universa in æternum exitii barathrum detrusus videre, igitur pro immensâ sua misericordia & bonitate per filium vocat omnes homines ad Regnum Gratia, ut aliquando ex hoc intrare possint in Regnum Gloria. *Secundarius* consideratur vel respectu *capitis Christi* cujus Regnum amplificari debet, vel respectu *hominum*, qui sunt membra Ecclesiæ ut vitæ æternæ participes fiant, imò omnes

omnes victoriae triumphum ab hostibus reportent. Quem finem consecuti jam sunt omnes sancti DEI & beati Martyres in Ecclesia Triumphante, ubi nullus amplius pugnae aut certaminis erit locus, illuc tendit etiam Ecclesia militans.

LXXX. Hactenus aliquid de Ecclesia diximus, sed non omne diximus, quod forsan palato benevoli Lectoris magis fuisset gratum. Verum cum sapissimè exosa sit prolixitas, delectet brevitatis, his paucis contenti, vela contrahendo, discursui nostro Theologico felicem imponimus clausulam, hoc pio annexo Voto, ut Pater omnis Misericordiae & Gratiae hanc vineam suam spirituales porro custodiat, curet, ab omnibus mundi & Sathanae insultibus clementer protegat, conservet, atque tandem ex hoc Regno

Gratiae in Regnum illud caelestis Gloriam

transferat: γένοιτο!

γένοιτο!

SOLI DEO GLORIA.





Ad Doctissimum

DN. RESPONDENTEM,
& Disputationis hujus Authorem.

Conditor æternus cùm secula prima crearet,
Se voluit verà religione coli.
Hinc cum primævo nata est Ecclesia mundo,
Cujus in extremo tempore finis erit.
Hanc doctè nobis præsens tua pagina monstrat,
Hæc dabit ingenio præmia digna tuo.

Johannes Meisnerus, D.

Commendare latis *Patria* Te gloria posset
Atque excellentis splendida fama *Patriæ*.
Sed mage commendat Te Virtus, insita Virtus,
Pervigil & studium, cum Pietate, tuum.
Quantumvis soleant una contingere paucis,
Tu tamen *his* gaudes, dulcis Amice, simul.
Hacpropter meritò Te terque quaterque beatum
Censeo, Teque nihil destituisse puto.
Quod res est, testor, quod pulpita nostra loquentur,
Cum sacra bella Tibi sunt adeunda brevi,
Ac disquiretur, quæ vera *Ecclesia*, vera
Ejusdem quænam *membra*, notæq; sient?
Et quæ præterea tua Dissertatio præsens,
Summo Thèiologo *Præside* habenda, docet.
Tunc sistes sobolem Patriâ celebrique Parente
Dignam, & doctrinæ tum documenta dabis.

Quo

Quo de cūm Genitore sibi pia Patria multum
Gratetur, constans & Tibi surgat honor :
Et nos concives Tibi prospera vota sonemus,
(Quorum Tu pars es non in honora chori,)
*Perge ita, ceu pergis : duro non cede labori,
Ausa secundabunt Fata benigna tua.
Hac laus & honor hic Tuus est, subducere laudem
Hanc voluisse Tibi, sit spoliare Jovem.*

Pereximio Dn. Resp. Præclarissimi
Parentis Filio æmulo, Fautori
suo ac Amico Colendo
περοσευφών
deproperabat

M. Joh. Matth. Stumpsius,
Franc.

Ad
Dn. Patruelem suum dilectum
de ECCLESIA disputantem.

Impiger pronæ Palinurus alno
Gaudet extremos volitare ad Indos,
Quò sibi pulchra valeat parare
pignora mercis.
Dente proscindit rigido tenacem
Rusticus terram, ut venientem in annum
Falce spicata Cereris secare
munera possit.
Cuncta sic magno veniunt labore,
Nonne Neptuno fabricata bello
Vab! decennali periit suprema
Curia Troja?

Ad dnm

Arduus Rhoecus, ferus & Thyphæus
Pelion jungunt petulanter Ossa,
Ut Patris summi injiciant parata
brachia sedi.

Magnus hic certè labor, & perennis
Visus, hinc fusus meritas in iras
Juppiter fregit retonante structos
Fulmine montes.

Phasidos Jason peregrinus undas
Occupat tandem sedulo labore,
Fertq; Phryxæ pecudis triumphans
nobile vellus.

Non levis res est Heliconis arcem
Cynthio sacram superare, totam
Inter & cultas charites novenas
vivere vitam.

Major, æterni documenta Jovæ
Mente scrutari vigilante, nec non
His piè semper meditando totum
claudere tempus.

Hoc facit, fecit facietq; solers
Hic meus pulchro Patruelis ansu.
Res cedro certè viridante digna
laudeq; summâ.

Perge successu stadium secundo
Currere inceptum. Beet hos labores
Atq; de cælo tibi Jovæ mittat
prospera Fata.

Virgilius secundus Donaverus
Saxo.

05 A 957

ULB Halle 3
003 761 037




V077

12







B.I.G.

Farbkarte #13

Black	3/Color	White	Magenta	Red	Yellow	Green	Cyan	Blue
-------	---------	-------	---------	-----	--------	-------	------	------

THEOLOGICA
 DE
LESIA

uam
 a, & consensu Venerandæ
 n Academia Wittebergenſi
RÆSIDIO
VIRI
rendi, Amplissimi,
ellentissimi,
NIS MEISNERI,
 ris & Professoris Publici,
 m Ephori, nec non Collegii
 i p. t. Decani
 tabilis.
 ni ac Mæcenatis Magni ſui
 vantiaæ cultu æternum
 quendi.
rum Examini ſubjicit
IS SIGISMUNDUS
 IS Ratisponenſis.
io Theologorum
lis horis matutinis.
 EBERGÆ
 öhneri, Acad. Typogr,
 DC. LI.